



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An, & quando adulterium dirimat matrimonium subsequens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITULVS VII.

DE EO, QUI DUXIT IN MATRIMONIUM,
QUAM POLLUIT PER ADULTERIUM.

Agitur in hoc titulo de impedimentis criminis, adulterio scilicet, occisione conjugis, &c. explicando, quando hæc sint impedimenta dirimentia.

§. I.

An, & quando adulterium dirimat matrimonium subsequens.

SI quis vivente adhuc legitimâ uxore, cum alia, quam adulterio polluit, de presenti clandestinè, & nulliter de facto contrahit, vel huic adulteræ promissionem facit post mortem legitimæ conjugis ducendi eam, incurrit impedimentum criminis, ut hanc adulteram post mortem legitimæ conjugis ducere non possit, ne ob promissionem & spem matrimonii futuri, capretur occasio occidendi priorem conjugem. Ut autem impedimentum hoc incurratur, debet matrimonium prius contractum fuisse validum (invalidum enim si prius matrimonium fuit, non dirimit matrimonium postea cum ea contrahi, cui per adulterium ex stimatum cognita, promissio de futuro matrimonio facta est) & ab adultera sciente prioris conjugis vitam, adulterium fuisse commissum, ac fides de futuro matrimonio recepta, sive hæc post adulterium commissum data

fuerit, sive ante, modò data sit durante eodem legitimo matrimonio, & recepta, cum in utroque casu detur occasio captandæ mortis. Et quamvis sola promissio de futuro matrimonio, aut solus de presenti contractus matrimonialis, vivente adhuc legitimâ conjugæ, cum altera inritus non sufficiat ad impedimentum dirimens hoc incurrendum, sed debeat insuper intervenire adulterium ex utraque parte cognitum, passim tamen omnes docent, nullam esse promissionem talem, ob periculum captandæ mortis, uti colligitur ex *c. Si quis 8. h. t. & argu. c. 2. De concess. praben.* & qui contrahere de presenti cum adultera, vivente legitimâ uxore, attentat, non tantum adulteram hanc post mortem suæ legitimæ conjugis ducere non posse, sed nec ullam aliam, juxta *c. Cum haberet 5. h. t.* graviores scilicet pœnam imponentes Ecclesiâ, graviori delicto.

§. II.

Quanam conditiones requirantur, ut adulterium dirimat matrimonium inter adulteros?

DE his ex priorè §. jam satis colligi potest, modò adhuc advertatur, quòd promissio facta debeat esse pura & abso-